

## ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO  
DECRETIS CONCILII VATICANI II  
INTERPRETANDIS**Responsa ad proposita dubia**

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum esse censuerunt ut infra :

## I

*(de poena excommunicationis l.s. declaranda)*

D. - Utrum vigore facultatis n. 13 Rescripti Pontificii *Cum admotae*, diei 6 mensis novembris anni 1964, Moderator Supremus Congregationis clericalis iuris pontificii uti valeat facultate ponendi actus iurisdictionis pro regimine et disciplina interna ad declarandam excommunicationem latae sententiae in proprios subditos, qui delictum commiserint, quod in sacris canonibus describitur et illa poena punitur.

R. - *Affirmative.*

## II

*(de cessatione post quinquennium a commisso munere)*

D. - 1) Utrum in norma, de qua in n. 2 § 5 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae universae*, praeter Praefectos, Membra et Secretarios Sacrarum Congregationum, comprehendantur quoque Praefecti, Praesides vel aequiparati, Propraesides et Vicepraesides, Membra et Praelati Superiores caeterorum Dicasteriorum et Coetuum seu Ordinum collegialium Romanae Curiae (ut Tribunalia, Secretariatus, Officia, Commissiones et Comitatus permanentes);

2) Utrum cessatio post quinquennium a commisso munere Consultorum Dicasteriorum, de qua in n. 5 § 1 eiusdem Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae universae*, respiciat quoque Consultores caeterorum Coetuum seu Ordinum Romanae Curiae, necnon Votantes, Referendarios, Consulentes, Commissarios et Peritos Dicasteriorum et Coetuum seu Ordinum, de quibus dictum est.

R. - *Affirmative ad utrumque*, exceptis tamen Coetibus seu Ordinibus Romanae Curiae qui lege propria hac in re regantur (hoc est nominatim Sacra Romana Rota, Camera Apostolica et Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium) necnon, ob peculiarem sui naturam, Secretaria Status seu Papalis, quae ad nutum est Summi Pontificis.

Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 18 aprilis 1973 infrascripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, approbavit et publicari iussit.

PERICLES Card. FELICI, *Praeses*

---